



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hebdomas Patientiæ Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...**

**Dietmer, Georg**

**Moguntiaë, 1674**

Caput II. Ex amore & imitatione dolorosæ Virginis patientiam exercere in morbis, & adversa valetudine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

animo Parthenophile accuratius perpendenda relinquo.

## CAPUT II.

*Ex amore & imitatione dolorosæ Virginis patientiam exercere in morbis, & ad versa valetudine.*

Vix equidem credo te omnino nullo morbo, ægritudineve teneri Parthenophile; Ex quo enim in hoc miseriarum barathrum coniectum est genus humanum per peccatum, innumerabiles morbi, corporumque sinistrae affectiones prodierunt. Deficit prope, quantumvis studiosissimus rerum indagator Ravisius, cum morborum species investigat; nam posteaquam alphabeto bene longo *cap. 51.* morbos ultra centum quinquaginta recensuisset; vix tamen mediam eorum partem in medium attulisse censendus est. Unde non statui te excitare, ut ipse tibi dolores, cruciatusque corporis procures, quibus piis afflictationibus aliquam dolorum

rum Virginis imaginem, similitudinemque in te exprimas; quamvis id permulti præclarique Dominæ nostræ studiosi summo suo emolumento tractitarint. Delicatiore modo siquidem tecum agere constitui, quam vel Philippus 2. Hispaniarum Rex cum filio suo Principe, quem teste Petro Matthæo Gall. *navr. 4. lib. 1.* circa vitæ suæ finem ad se evocatum, manu flagellum offerens, his verbis est allocutus: *Cape fili piæ instrumentum lanienæ flagrum, & Patris, atque avi sanguini, quo respersum vides, adde tuum.* Suaviore etiam ratione tecum agere conabor, quam cum suo Edmundulo filiolo Mabilia, Suri. 16. Nov. quæ munusculis puerilibus eidem persuasit, ut sextas ferias pane, & aqua duntaxat victitaret: misit deinde duo cilicia Parisios, alterum Edmundulo, alterum fratri in ea urbe litteris vacantibus; suavitque, ut se quot hebdomadis bis, terve, illis præcingerent. Et Edmundulo quidem nunquam linea mittebat indumenta, sed insuper contextam è setis vestem adjungebat. Delicior es Marchione  
Aloy-

Aloyfio, qui parvulus mortis Christi recolendæ gratiâ sextâ quavis feria jejunabat. Tenerior & Magdalena de Ipris, quæ à septimo ætatis anno tenerum sinum urticis & aculeis implebat. Decem deinde annorum, cum Christum in templo vidisset, *O vere salutis nostræ author Jesu Christe*, inquit, *pro te nihil in rependenda vice habemus feci!* ubertimque plorans, & in abditam sylvam recedens, se spinis ad largam usque sanguinis effusionem verberabat, identitem vulnerum Christi cum lacrymis reminiscens *Myrcus in bibli.* Sed nec hoc potes Parthenophile, quod magnus quidam Princeps ac Præsul, Patriæ olim Pater potuit, fuit is Joannes Godefridus Imperialis Bamb. Ecclesiæ Episcopus, qui ut habet ejus concio funebris, Anno 1622. à puero dies noctesque cilicio duro gestando assueverat, diebus Sabbathinis in honorem Matris Virginis, sexta autem feria, in Jesu Christi crucifixi memoriam se flagellis acerrimè cruentabat, sæpe nudæ humo indormiscebat; adhæc omnibus Crucifixo dicatis sextis feriis, &

Ma-

Solm

Marianis doloribus ac honoribus Sabbathinis unica panis buccella, modicoque hâustu victitabat. Hæc inquam tibi nec suadeo, nec in hibeo, novi enim te ex eorum delicatulorum sanctorum esse numero, qui hæc, ac ejusmodi non tam imitationis gratia, quã admiratio- nis ergo proponi, contendunt; hoc igitur duntaxat hortor, & obsecro, ut si fors aliqua, siue casus infortunatus, siue specialis Numinis providentia corporis afflictatio, valetudo debilis & infirma, morbi vis, & violentia, siue ægritudi- nis qualiscunque species obtigerit, id omne malum forti magnoque animo, ac patienti mente perferas, ea intentione, ut Virginis dulcissimæ, ac mœstissimæ Matris tuæ dolores acerbissimos tum pro tuo modulo, excola; tum quali- cet imitationis studio prosequaris. Le- gitur apud Portam *lib. 8. cap. 8.* si quis quotidie ex succo solsequii, seu molo- che cyathum medium sorbeat, omnibus morbis cariturum. Id non tibi modo medicamento genus præscribo, sed ta- men si morbis conflicteris, ex succo sol- sequii cyathum facias adhortor.

Solem

Solem suum Jesum sequebatur dolorosa Virgo, & succum cruentarum lacrymarum exprimebat mœstissima compassio, ebibe cyathum Parthenophile, dic ægrotanti animæ, dic moribundo corpusculo; calicem, quem misit mihi Pater meus, non bibam? imo verò sic te ipsum affare. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*; morbus calix est salutis, ægritudo ut corpus affligit, sic patienter perlata, animum recreat; Invoca nomen Domini; cave ne in verba querula, aut motus inconditos prorumpas; neque enim opus est ut te moneam, ne in execrationes, murmura, blasphemias, aut superstitionas observatione prolabaris, peccata hæc hominum impiissimorum sunt, non Parthenophili patientissimæ Virgini dolores assiduo studio meditantis. Respiciebant fontem quendam ægri apud Æginense, ut in eo morbi, valetudini que exitum viderent; refert id Ludovicus Vives ex Pausania de rebus Achaia sic fere *in lib. 7. S. Aug. de civit. cap. 35.* templum scilicet fuisse Cereris, ac proximum

ximum fontem, in quem ægri post peracta sacra despectantes, morbi, valetudinisque exitum videbant. *Melius æger Parthenophile, in irgineo lacrymarum fonte, absque superstitionis nota, aut macula, morbi, valetudinisque tuæ exitum contemplaberis, qui erit voluntas Dei, & resignatio perfecta, fortis constantia in doloribus, & humilis patientia.* Ausim præterea te animare ad hauriendam ex hoc fonte salutem, aut certe ferendi morbi virtutem. Ipsumque, si hoc lubet, Cœlestis Cereris, ex qua nobis panis vitæ enatus est, templum, si pedibus non vales, mente adi, neque juxta, sed in ipso aditu fontem intueberis sanitatis; & si placet, dolorosæ Virginis, cujus hoc loco maxime honorem, & hyperduliam spectamus, sub Dettelbaco in superiore, aut si vis mœstissimæ Matris ad fagum in inferiore parte Franconiæ inter Lohram & Wisenfelt, vel quocumque beneficiis Dei parentis, ac doloribus ipsius insigne sacellum, specta ibidem miraculosæ sanitatis indicia, tabellas ex votis appensas.

&

& fontis hujus Mariani saluberrimam videbis virtutem; Fontemque curatio- num fateberis Mariam. Quod si adhuc non satis confidas, audi ipsam salutem in- firmorum apud Damas. *serm. de dor. Vir:* sic loquentem: *Ego evasi officina medici- nae agrotantibus; Ego fons perennis curatio- num.* Nosti præclare, lectionis enim E- vangelicæ perstudiosus es, Hierosoly- mis probaticam fuisse Piscinam, quin- que habentem porticus, in his jacebat multitudo magna langventium, cæco- rum, claudorum, & aridorum expe- ctantium aquæ motum. Porro Ange- lus Domini eam in piscinam certo des- cendebat tempore, movebatque Ange- lica sua virtute aquam; quique tum agrorum prior post motionem aquæ in piscinam descendisset, salvus fiebat, à quacuncque detineretur infirmitate. Parthenophile, Dolorosa Mater tua Piscina isthæc probatica est, in cujus do- loris fluentis, à sacrificii sanctissimi in monte Calvariæ æterno Patri exhibiti, promanantibus, non unus tantum sana- tur, sed quotquot se laverint diligen-  
tius

tius. Sanabatur, qui prior post aquæ motum in piscinam descendisset; posteaquam ad Virginem descendit Angelus, quæ tum mota est, quando turbata est in sermone illius; verum, quia per eam motionem omnium Mater facta est, omnibus quoque medela existit ad salutem. Vis sanus fieri æger Parthenophile? te in piscinam dolorosæ Virginis demitte, & à quacunque infirmitate detineberis (si ita tuæ conducet saluti) liberaberis. Audi Richardum lib. 9. de laud. Virg. Maria est piscina probatica, in quam Angelus Domini secundum tempus descendebat, & movebatur aqua, & sanabatur unus. Tempore enim Incarnationis descendit Angelus Magni consilii in Mariam, & mota est aqua, quando ad novam salutationem turbata est Maria, & sanatus est unus, idest, quotquot crediderunt Deum trinum, & unum. Sed nisi te fatigem nimium morbo utcunque imbecillum, aliud sacram scripturarum autoritate plenum afferam testimonium. 4. Reg. 5. Leprâ laborans Naaman Syrus Princeps, iter ad

ad Elisæum Prophetam instituit, ut pristinam reciperet carnis sanam integritatem; cujus petitionem, posteaquam intellexisset Elisæus, misit ad eum nuntium dicens: *Vade & lava te septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua, & mundaberis.* Iratus Naaman recedebat dicens: *putabam quod egrederetur ad me, & stans invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me.* Inductus tamen à famulis deinde herus, lavit septies, & sanatus est, & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli. Agnoscis mysterium? cur irasceris ubi morbo affictaris? quin septies lavararis in Jordane? aut quo Jordane? audi Rich. à S. Laurent. lib. 9. de laud. V. *Maria fluvius Jordanis, in quo ad præceptum Elisæi restituitur caro Naaman leprosi, sicut caro parvuli pueri, si in eo septies abluatur.* Porro lavaraberis septies, si septem Matris tuæ dolores penitus menti impresseris, iisque velut limpidissimis fluentis omnes impatientis animi maculas absterferis. Cæterum non existimo Parthenophile opus esse Maternam curam, quam dolo-  
rosa

rosa

rosa Virgo suis clientibus in magnis morbi molestiis constitutis exhibere consuevit, tibi ob oculos ponere, ea enim pietas orbi Christiano notissima est universo. Si enim *actorum s. ejuerent in plateas infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quenquam illorum, & libera-ventur ab infirmitatibus suis.* Quid non poterit protectio & invocatio Mariæ? si hoc discipuli potuit umbra, quid non poterit illa, quæ non modo à Spiritu Sancto fuit obumbrata, sed etiam à cruce morientis Salvatoris, ex qua omnes curationes corporis, animæque in nos profluxerunt. Quo tibi tamen majori solatio sim, præsertim cum ex morbis mors persæpe timenda sit, dolorosæ Virginis curam erga suos sibi devotos, & infirmitatibus oppressos, pauculis historiis declarabo, quas fide dignissimi posteritati transmiserunt. S. Petrus Daman. *lib. 6. ep. 29.* Refert quæ consequuntur verba: *Clericus quidam Nevenensis Ecclesiæ morbo depressus elanguit, jam jamque crescente molestia, moribundus ad ex-*  
*trema*

tremam pervenit; hic regulam sibi sanctam ser-  
 vitutis indixerat, ut B. Dei Genitrici quoti-  
 diana per singulas horas laudum vota persol-  
 veret; cumque velut egressurus in ejus pedo-  
 re spiritus anxie palpitaret, ecce gloriosa Ma-  
 ter Dei sibi visibiliter astitit, & sacri uberis  
 papillam lac exprimens, ejus labiis instillavit, &  
 divinae virtutis antidoto protinus ille resumptis  
 viribus ex infirmitate convaluit; & mox cle-  
 ricalibus ornamentis indutus, ecclesiam adiit. se-  
 sequere choris psallentium fratrum laetus interse-  
 rens, mirum videntibus spectaculum praebuit.  
 Dicitur quod adhuc in labiis ejus quaedam la-  
 cis videbantur vestigia. E. pergit ratio-  
 nem afferre S. Pater: Per hoc conjici po-  
 test, quoniam ejusdem labiis, quibus eam ille  
 laudavit, & coluit, gloriosa Virgo lac salutis  
 immulsit, ut per illud corporis membrum, quo  
 sibi venerabilis clericus laudis obtulerat glo-  
 riam, congrua vicissitudine recuperandae salu-  
 tis suae perciperet medicinam. Quamvis au-  
 tem sperare vix possis aegrotanti tibi  
 Virgineum hoc lac propinatum iri; cer-  
 tissimum tamen tibi afferet dolorosa  
 Mater solatium, & refrigerium, si non tam  
 externis labiis, sed intimo a te corde in-

G

voce-

voctur. Alterum erga ægrotantem  
maternæ pietatis cernè argumentum  
apud Surium 23. *Junii*. Religiosa quæ-  
dam erat vidua, quæ in sancta viduitate  
diu serviverat Domino, & filias suas in  
sancta virginitate sponsæ cœlesti inte-  
gras servabat; huic, Maria Oegniacen-  
sis in sanctorum numerum jam pridem  
relata, vidit assistentem Divam Deipa-  
ientem, & quasi flabello quodam caloe-  
ri æstum, quo torquebatur humanissi-  
me temperantem. Quam patiens, quam  
in ei manus resignatus, quam æquo in  
omni morbo fore animo Parthenophi-  
le, si hanc tibi præsentem, tuosque do-  
lores temperantem adverteres Domi-  
nam? sed ne dubita eam in omni affli-  
ctione tibi præsentem futuram, cujus  
tu dolorum toties, tamque pio amoris,  
& compassionis affectu recordaris. In-  
numera sunt ejusmodi erga moribundos  
beneficia magnæ Matris, variis libro-  
rum voluminibus expressa, ad quæ bre-  
vitatæ studio te remitto. Interim  
quiete dolores, si qui sunt, Parthenophi-  
le

te sustine, teque ad præscribendam devotionem accinge.

## CAPUT III.

*In honorem delorosa Virginis recitare rosarium 15. dolorum, cum annexis hymnis ejusdem dolorum mentionem facientibus.*

**P**Arthenophile, ingeniosus est amor, ut nosti, unde amatores mæstissimæ Matris tuæ varia invenêre argumenta, quibus indies dolorosa Virginis plantum partim meditando, partim vocali prece, partim sacris, sed lugubribus hymnis concelebrent. Sunt qui è celeberrimo D. Dominici Rosario quinque duntaxat dolorum mysteria colenda suscipiant; alii unum duntaxat doloris gladium, alii septem, longe plures alii commemorant. Quo itaque plenum desideriorum animum tuum omnibus, aut plerisque saltem affectibus exfatiem, quindecim præcipuos Virginis dolores hodie tibi colendos proponam,